

SPECULUM
HELVETICO
TIGURINUM.

ΠΕΝΤΕΚΩΝΟΝ,

quo,

*breviter & succinctè, de Helvetiorum,
Tigurinorum cumprimis, agi-
tur status,*

- I. Politico.
- II. Ecclesiastico.
- III. Militari.
- IV. Eventuali.

Accedit

V. Compendium Chronologicum,
de rebus Tigurinorum.

Auctore:

JOH. HENRICO HOTTINGERO, D.

TIGURI,

Impensis JOH. GUIL. SIMLERI Bibl.
M DC LXV.

dericum. Quarta à Friderico ad Reformationem, tyrannicè sæpe tractata, masculè restitit. Quinta denique reformata.

IV. Scholasticæ Historiæ compendium duabus nuper expressimus orationibus. Inferam ergò tantum hoc loco Epistolam viri doctissimi, D. Erasmi Fabricij, quam superiori seculo, año 1554, de statu Scholæ Tigurinæ dedit ad Hyperium, Theologum Marpurgensem. *Itaille:*

Affinis meus nuper tuis verbis (vir Doctissime) significavit, Te Scholæ nostræ morem, leges & instituta scire percipere, meque ideo rogare, ne committam, quin omnia tibi accuratè perscribam. Ego verò, mi Hyperi, etsi non satis intelligo, quo in genere argumenta labores, videris tamen viam quandam expeditissimam, constituendi & conservandi per Ministros Ecclesiam velle proscribere. Quòd si ita est, & meus labor aliquid comòdare potest, non gravatè tibi morem geram.

In puero ergo olim, ad Ecclesiasticum Ministerium admittendo, quædam inesse, quædam eundem circumstare necesse est.

est. Tria verò in puero inesse, quantum ego judico, oportet. Morum probitatem; Ingenium, si non excellens, at saltem mediocre, & Naturæ ad bonas literas inclinationem. Puerum circumstare oportet, tempus, locus, præceptores & stipendia: De tribus prioribus jam nihil, de quatuor posterioribus paucis ad Te scribam.

Et primùm de tempore.

Quantum primò tempus in omni re valeat, nemo est, qui ignoret; Hujus quicquid auspicijs ritè peragitur; tempestivè fieri existimatur. Illam verò temporis partem, quæ alicujus rei, aut faciendæ, in se habet opportunitatem, Græci *καιρὸν* Latini occasionem dixêre. Sed bonas quantumvis occasiones quandoque locorum difficultates, præceptorum inopia, & fortunæ incommodis esse exclusas, eventus ipse comprobatur.

Loci ergo commoditas, præceptorum facultas, & stipendiorum largitio, cum temporis occasione, magnam habent affinitatem. Prudenter ergo in Ecclesia no-

stra,

stra, hæc quatuor sunt conjuncta, & mutuis inter se præfidijs stabilita.

De reliquis ergo tribus jam deinceps ordine agam.

Loca apud nos, ubi bonæ literæ docentur & discuntur, omnino tria sunt: Scholæ, in quibus Latinæ & Græcæ literæ traduntur, duo sunt. Sic urbis nostræ situs, quam mediam, flumen interfecat, & duo pontes denuo jungunt, fert: Hæc loca tantum, non præceptorum aut classium diversitate sunt distinctæ: Harum altera Canonorum, altera nostro Collegio est adjuncta. In hisce Scholis, postquam pueri Græcis & Latinis literis feliciter fuerint imbuti, ad publicas lectiones demum communi doctorum consensu, admittuntur. Lectionibus autem publicis & ipsis lectorium, templo maximo contiguum, est destinatum. Hisce locis, si quis Collegium Senatus, cui ego jam præsum, annumerare volet, quod ibi non minus quàm alibi bonæ literæ docentur, non multum peccaverit.

Venio ad præceptores. Scholas ergo
singul-

singulas quini administrant didascalii. Hi, ut dignitate, ita officijs inter se distant. Unus inter eos, qui principem in suo ludo tenet locum, Præceptoris nomine appellatur: is matutinis horis Græcos auctores explicat. Hi tales sunt, quales Doctorum communi consilio, pro ratione temporis, & puerorum captu, in singulos annos decernuntur. Pomeridianum tempus idem in Latinis Auctoribus enarrandis consumit. Horas etiam aliquot examinibus, stylo ac scriptioni attribuit. Proximum à Præceptore locum is occupat cui Provisoris nomen est. Is quatuor horas in singulos dies legendo, & examinando absument. Restant adhuc trium classium, qui Lectores dicuntur. Horum quoque per gradus, & dignitas, & ordo decrescit.

Venio ad Præceptores publicos. Publica lectio ante prandium omnino una est. In ea V. T. libri primùm Hebraicè, à Domino Pellicano, postmodum Græcè à Domino Theodoro Bibliandro enarrantur. Tertio tandem loco ab eodem Biblian-

bliandro Orthodoxa expositio subnectitur. Tanta verò hujus viri est eruditio, tanta cum eruditione dicendi, & commentandi conjuncta facultas, ut certo quoque spatio, omnes V. T. libros absolvat, deinde verò, unde Lectionis initium fecerat, redeat. Hanc lectionem, ut quisque est doctissimus, ita diligentissimè frequentat. Nec verò Bullingerus tantum, & reliqui omnes quos habemus, docti, suâ præsentia hunc cœtum ornant, sed studium quoque Professoris excitant, & legenti auctoritatem, & dignitatem conciliant.

Quòd à prandio reliquum diei est, cæteris lectionibus impenditur. Unam horam Dialectica sibi vendicat; unam studium Græcum. Hac jam Rodolphus Collinus, focer meus, defungitur. Homerus verò, & Demosthenis orationes anniversarijs spatijs inter se mutuò subsequuntur. Philosophiam Conradus Gessnerus informat. Josias Simlerus, Bullingeri gener, nuper Novum Testamentum publicè exponen-

ponendum est aggressus, & in eo feliciter procedit.

Quæris fortassis, quoniam de Collegijs instituendis tibi sermo est, quo genere lectionis ego fungar? De quo sic accipe brevibus. Discipuli, qui meis auspicijs, & ductu bonas literas discunt, aut Scholas, aut lectiones adeunt publicas. Labor ergo, qui singulis inter legendum unus est, mihi inter repetendum est multiplex, & cum singulis communis. Hebraica tamen lingua, quia breviter & concisè à Domino Pellicano (sic enim Sacra Lectionis fert ratio,) quasi delibatur, mihi plenius, & exactiùs pertractanda relinquitur.

Concionum, quæ apud nos plures sunt, ea est ratio, ut eæ non minùs, quàm lectiones publicæ, ad formandum Theologum, adjumenti afferant. Nonnullus ergo mihi labor est, conciones si non omnes; præcipuas tamen ad sua præcepta revocare, quod ferè in mensa facio. Ipse enim ut primus omnium accumbo, ita convivio ultimus excedo. Hoc modo morum
probi.

probritatem, & Civitatem, quantum in me est, simul in pueros transfundo. Die verò Solis, qui nobis Dominicus est, antequam discipulos ad Sacros cœtus deducam, domi Epistolam aliquam Pauli, quantâ possum diligentiam, excutio. Et quia lectionum, & concionum apud nos abundè satis est, sufficit mihi, sedes, connexiones argumentorum commonstrare, & interdum ad locum communem aliquem Theologicum deflectere. In Epistola verò ad Romanos, quantum tuus me labor adjuverit, nunquam satis pro dignitate dixerim.

Supereft locus, in quo de stipendijs etit agendum.

Duo fuerunt apud nos Collegia, ut personis, ita loco distincta. Alterum Canonicis, alterum Virginibus, quas Religiosas licet appellare, dedicatum. Utrumque Reges fundatores agnoscit, & propterea Regia Collegia dici merentur. Tempora verò habent contigua. Situs verò urbis nostræ ejusmodi est, ut pontis alterius duæ extremitates in utrumque ferè
Tem-